DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FLAVA FEBRE.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FLAVA FEBRE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

NATHANIEL WEEKES,

BARBADENSIS,

REG. SOCIET. MED. EDIN. SOC.

———" *Nec sævior ulla*
" *Pestis, et ira* DEÛM *STYGIIS sese extulit undis.*"
VIRGIL. *Æneid.* III.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCCXCIX.

VIRO OPTIMO,

JOSHUÆ GITTENS,

ARMIGERO,

PLEBIS BARBADENSIS

COMITIORUM

PRÆSIDI,

LITERIS, INTEGRITATE, ET PATRIÆ AMORE

CONSPICUO,

HANC DISPUTATIONEM

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. CQUE

NATHANIEL WEEKES.

NECNON

VIRIS OPTIMIS,

GULIELMO SENHOUSE,

ARMIGERO,

ET

SAMUELI CLARK,

ARTIS MEDICINALIS PERITO;

PERTENUE HOC

OBSERVANTIÆ ET AMICITIÆ

SIGNUM

LITERIS

MANDAT

NATHANIEL WEEKES.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FLAVA FEBRE.

NATHANIELE WEEKES, *Auctore.*

§ I. FLAVA FEBRIS, quacunque causâ oriatur, apta videtur, quæ, rebus variis ægros afficientibus, varias sibi formas assumat.

II. Hinc (I.) fit, ut, in diversis partibus orbis terrarum, quibus rarum fecit genus hominum, variè ab auctoribus describatur, atque in

varias, de ejus cùm natura tum curatione, disputatum sit partes.

III. Hinc (I.) quoque est, quamobrem hanc febrem accuratè describere, arduum in primis sit et difficile. Namque, præter pauca signa, quæ ei propria sunt, nullis perpetuis cognoscitur; sed in aliis ægris adeò alia est, ut, sicuti verissimè dixerunt auctores, omnem subinde morbum simulet, cui patet genus hominum.

IV. Attamen varietates, quæ frequentissimè apparent, sunt, ea quæ, ab initio adversæ valetudinis, nimiis cordis arteriarumque motibus cognoscitur, atque ea quæ a summa debilitate incipit.

V. Sicuti plerique alii, qui de hoc morbo scripserunt, signa, quæ utriusque (IV.) varietatis propria sunt, quàm paucissimis describemus.

VI. *VA-*

VI. *Varietas prima*—validos plerumque et robustos, præ cæteris, afficit; eos tamen maximè, qui a frigido cœlo in calidum æstuosumve nuper advenerunt.

VII. A languore incipit, vertigine, horroribus, capitis dolore, nausea atque obtuso dextri lateris dolore. Arteriarum pulsus frequens est, et inæqualis. Æger simul anxietate premitur, ac præcordiorum gravitate; atque vultu lugubris est, ac mente confusus.

VIII. Hæc (VII.) signa brevi excipiunt calores, quibus intenditur febris: ingravescit capitis dolor: totumque corpus usque eò incalescit, ut summa cutis tactu calida sit et pungens. Hæc simul arida est, vel, ut interdum, lento humore madida: sitis plerumque urget: turgida sanguine facies est, et anxietatem indicat: rubent atque inflammantur oculi: frequens plerumque, inæqualis, et validissimus arteriarum pulsus; aliàs,

quamvis durus, tardus tamen et oppressus: atque artus et dorsum graviter dolent.

IX. Signa, quæ (VIII.) memoravimus, postquam duodecim quatuordecimve horas duraverunt, multùm sanè levantur, at, ad certum haudquaquam tempus, remittunt.

X. Haud multò enim pòst, graviora, quàm antea, redeunt. Arteriæ duriùs et enixiùs micant: atque adhuc magis intenditur calor corporis. In caput, præ cæteris corporis partibus, sanguis diffunditur; atque vehementissimè intenduntur tam arteriæ temporum, tam *carotides*. Ægrotus somnum inire nequit; præterita non bene reminiscitur; fronte anxius est, et nonnihil ferox. Alvus simul perquam astricta est: urina parca: cæterique humores, quos secernere solet sanum corpus, suppressi.

XI. Tertio ferè die ab adversæ valetudinis initio, subitò haud rarò nova incipit signorum series.

series. Vehementibus cordis et arteriarum motibus succedit debilitas. Pulsus tardi fiunt. Calor summæ cutis, maximè membrorum extremitatum, remittit; at præcordiorum tamen ardor est, et gravitas.

XII. Eodem ferè tempore, ventriculus humorem, initio perlucidum lentumque, pòst paulò coloratiorem, et luci impervium, suprà reddit. Tam collum, quàm partes prope oris angulum, obscurè flavescunt; atque morbus paulatim transit in ultimum statum secundæ varietatis, quam nunc describere nostrum est.

XIII. *VARIETAS SECUNDA.*—In hac varietate nulli ferè horrores initio observabiles sunt. Prima gravia mala, quibus æger affligitur, sunt nausea, vertigo, præcordiorum gravitas, dorsi imæque sincipitis partis dolores. Hæc mala plerumque, at non semper, comitantur magna debilitas, gravesque dolores musculorum.

XIV. At

XIV. At, eodem tamen tempore, corporis calor parùm intenditur: arida cutis est: lingua itidem nonnunquam arida, sæpius verò humida, et plerumque turpis: facies solito rubrior, simulque vacua et lugubris: oculi languescunt ac illachrymantur; imò interdum inflammantur, et lucis impatientes sunt, ampliatis simul pupillis, et turgidis, ut sensui ipsius ægri videtur, palpebris.

XV. Varius arteriarum pulsus est. Modò frequens, debilis, contractus seu formicans; modò haud solito frequentior, sed adeò languidus, ut admoto digito vix explorari possit; interdum, id tamen quod rariùs accidit, mirum in modum tardatur. Sed, utcunque frequens sit aut tardus, haud raro intermittit.

XVI. Æger semper animam celeriter reciprocat; atque magnâ anxietate, multisque molestiis opprimitur.

XVII. Hæc

XVII. Hæc (XIII—XVI.) mala, post duodecim, quindecim, vigintive horas, sæpe mitescere videntur; sed mox ferè ingravescunt, neque, per tres quatuorve dies, quicquam remittunt. Æger magis conflictatur, magis pervigilat, vultuque magis despondet; atque, inter spiritum, ex imo pectore suspiria frequenter trahit. Musculi tam superiorum membrorum tam inferiorum intremiscunt, neque profectò rarò vehementer subsiliunt; simulque in his, itemque in artubus, dolores sunt. Alvus perquam compressa est: urina parca, solito coloratior, et luci impervia.

XVIII. Eodem ferè tempore, flavescit cutis, ea præcipuè colli et faciei. Nausea transit in vomitum; quo suprà redditur humor, qui interdum ex bile constat, sed multo sæpius perlucidus lentusque, in quo subfusca quædam strias repræsentant: atque, id profectò quod mirum videtur, suprà reddita multò assumpta potulenta pondere excedunt.

XIX. Urina

XIX. Urina simul tardatur, haud rarò supprimitur. In ventriculi regione multùm intenditur dolor. Sensus constricti abdominis est, atque obtusi doloris ex pressa regione hepatis. Sanguis ex diversis partibus profluit; imò haud rarò, in mistura quadam, iis, tam quæ suprà erumpunt, quàm quæ infrà, interpositus conspicitur. Arteriarum ictus varii sunt; sæpe molles et pleni, neque rarò intermittentes. Æger memoriâ confusus est, at rarò tamen mente alienatus.

XX. Morbus nunc ad finem gradum accelerat; atque signa, utcunque hactenus diversa fuerint, dehinc utriusque varietatis communia sunt.

XXI. Ingravescunt dolor capitis et vertigo. Musculi doloribus vix tolerandis cruciantur. Summa ubique cutis magis magisque flavet. Importunior sitis urget. Linguæ crusta subfusca seu subnigra obducitur. Spiritus gravis

est

est et laboriosus. Arteriæ languidiùs moventur. Æger brachia et crura inæqualiter dispergit, difficillimè ferens morbum. Vomitione continuâ et insedabili suprà redduntur subnigra quædam, modo hæc, quæ assumuntur, multò excedentia, quæ *coffeæ* fæces simulant, quibusque striæ sanguinis interpositæ conspicuæ sunt. Simul æger, quàm antea, frequentiùs desidet; atque dejecta nigritie et lentore picem referunt. Nigra itidem subnigrave urina est, etiamque adeò acris, ut substillum moveat: neque multò pòst secerni, uti videtur, ex toto desinit; quum ex vesica, per siphonem in urinæ fistulam immissum, nihil educatur.

XXII. Summa simul, hìc illic, cutis, præcipuè circa præcordia, livescit. Ex partibus, tam externis quàm internis, sanguis modò exstillat, modò effunditur. Arteriæ non solùm imbeciliter et inæqualibus temporibus moventur, sed etiam motus haud raro intermittunt. Summâ cute frigidus lentusque oritur sudor. Demum-

que, ægrum aut sopore oppressum, aut nervos distentum, rapit mors, miseriisque ponit finem.

XXIII. Talibus plerumque notis insignitur febris, quam scriptis persequimur. Imperpetuæ autem quædam haùd rarò apparent, quas, intra angustos hujusmodi scriptorum fines, fusè describere non licet.

XXIV. Tempus, quod flava febris cursu implet, admodum varium est. Hic enim morbus, dummodo medicinâ non interrumpatur, quinto plerumque vespere appropinquante finitur. Haud verò rarò cursum adeò accelerat, ut tertio die afferat ægro mortem. Aliàs adeò tardigradus est, ut in nonum diem aut undecimum protrahatur.

XXV. Brevi plerumque, post mortem, eorum, quos absumpsit hic morbus, cadavera putrescunt. Summa cutis purpurascit, haud rarò

rò etiam nigrescit; sanguinem exsudat; atque, hìc illic, tanquam ex verberis ictibus, latè livet.

XXVI. Patefacto cadavere, omnia ferme viscera morbida inveniuntur. Cerebri vasa persæpe nigro sanguine turgida sunt: pulmones lividis haud rarò maculis variati. Cordis, et ampliorum venarum, tenuis sanguis et subniger est.

XXVII. In abdomine vestigia gravissimi morbi adhuc magis conspicua sunt. Ventriculus, et superior pars summi intestini, obscurè flava apparent, prægressæque inflammationis notas ostendunt; neque profectò rarò villosa iis tunica, hìc illic, abraditur. Jecur saturato colore aut flavet aut nigrat; simulque ejus vasa, per quæ distribuitur sanguis, supra modum plena sunt et ampla. Ductus fellei, itemque vesica fellea, nigro ferme semper lentoque humore, qui liquidam simulat picem, oppleta conspiciuntur.

 tur.

tur. Splen itidem haud rarò, supra modum, distentus apparet; maceratum omentum: atque tam hujus, quàm cæterorum intestinorum, facies arida est, simulque subcoerulei sufflavive coloris. Vesica, qua continctur urina, exigua plerumque et contracta apparet, atque interior ejus facies grumoso sanguine oblita.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

XXVIII. SOLUS ferè morbus, qui flavam febrem, de qua scribimus, signis adeò refert, ut similitudo errorem creet, est *BILIOSA* calidarum regionum *FEBRIS REMITTENS*. Tot enimvero iis signorum communitas est, ut ejusdem morbi varietates habitæ sint, quæ vi tantùm differunt.

XXIX. Hanc (XXVIII.) opinionem tenent auctores multi nominis, nempe CLARKIUS, MACLEANIUS, et nuperrimè in libro, quem publici juris fecit, JACKSON. A tam claris auctoribus dissentire, quibusdam temerarium videatur. Multùm tamen abest, ut ad horum sententiam omnes accedant medici. Quanquam enim concederetur, has febres genere convenire, vi tantùm differentes; tamen nondum satìs constat, quibus

ex

ex causis flava febris, quæ duarum vi gravior est et lethalior, subinde grassetur.

XXX. At, utramcunque, de hac re, opinionem teneamus, sive scilicet has febres convenire genere existimemus, sive discrepare, eas tamen internoscere æquè necessarium videtur; cùm præsertim non differant solùm periculo, quod afferunt, sed diversas etiam curationes, utraque suam, requirant.

XXXI. Flavus cutis color, atque vomitio subfuscæ aut subatræ materiæ, a quibusdam signa flavæ febris propria existimata sunt. Interdum verò, etiam in remittente febre calidarum regionum, occurrunt. In hac autem neque tanta sunt, neque tam frequentia.

XXXII. Flavæ præterea febris remissiones parùm evidentes sunt; neque signa, æqualibus temporibus interjectis, multùm aut semper decrescunt,

crescunt, sed plerumque ita, ut cœpere, continuant.

XXXIII. Oculi, porrò, et vultus, utì ferunt scriptores, iis, qui jam viderint, flavam febrem verbis disertissimi medici certiùs indicant. Quæ verò hæc oculorum et vultûs proprietas sit, nemo medicorum hactenus potuit verbis accuratè describere.

XXXIV. Spirandi, denique, crebritas; suspiria frequenter ex imo pectore tracta; continuus violentusque imi sincipitis dolor; anxietas, quantam verba non possunt exæquare; hæc omnia, utì ab auctoribus accipimus, signa flavæ febris propria sunt.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

XXXV. De causa flavæ febris, duæ omnino opiniones sunt, inter se contrariæ; quarum tamen utrique defensores magni nominis.

XXXVI. Nonnulli, sicuti CHISHOLMIUS, RUSHIUS, atque AMERICANI medici ferè omnes, contendunt, pestilente quodam tabo speciali concitari. Alii, et hi quidem præclari, JACKSON, nempe MACLEANIUS, CLARKIUS, pestilente unquam tabo oriri negant.

XXXVII. Mirum videtur, nondum, pestilens, necne, sit hæc febris, inter medicos convenire; eòque magis, quòd, in occiduo semiorbe, iis causam explorandi frequens nimis occasio nuper oblata est. Argumenta verò, quibus partes, utraque suam, opiniones confirmare conantur, adeò numerosa sunt, et tantam a rebus

bus ipsis firmitatem videntur accipere, ut, utra opinio vera sit, difficile in primis sit discernere.

XXXVIII. Audi, sîs, JACKSONEM, de controversa hac re, his disserentem verbis :— "That, if various persons brought into ho-"spitals, on account of accidents, become "affected, in a certain course of time, with a "fever not connected with their conditions, "little doubt will remain that a contagion "exists, or that the fever originates from that "source; if the medical officers, nurses, and "attendants become generally affected with the "fever prevailing in those hospitals, while a "similar disease does not appear in neighbour-"ing places, or only as traced to this source, "the conclusion of contagion may be safely "admitted; if clothes, bedding, even the per-"sons of men, from this infected source, be "removed to a distant place, a disease arising "in this place, and extending itself to others,

" may be justly concluded as proceeding from " contagion. If, on the contrary, persons " sickening at this source, removed to a district " where the disease does not exist, do not com- " municate to their attendants a form of the " malady under which they themselves labour, " there cannot be just cause to suspect the exi- " stence of contagion; if the unpurified " clothes and bedding of people who have been " ill, or even who have died of this disease, " be worn by healthy men with impunity, a " direct proof is furnished, that contagion does " not exist. If the course of the disease, in " rise, progress, and decline, follow the laws " of season, which influence ordinary ende- " mic, there can be little reason to suppose it " contagious; for, contagious fever, arising " from direct communication or near approach " to the contagious source, is little under the " influence of season; on the contrary, it is " usually more aggravated in winter, when the " endemic ceases or declines."

XXXIX. His

XXXIX. His (XXXVIII.) argumentis adductus est JACKSON, ut flavam febrem nunquam pestilentem esse morbum crederet. Ei, hac de re, assentiunt CLARKIUS et MACLEANIUS, qui, rebus itidem observatis, et experientiâ cognitis, eandem opinionem confirmant. Ad eandem quoque, utì a MACLEANIO accipimus, sententiam accedunt WRIGHTIUS, et medici quidem ferè omnes, qui in HISPANIOLA medicinam faciunt aut fecerunt.

XL. Contrà, in AMERICA, inter omnes ferè medicos, utì videtur, febrem, de qua scribimus, pestilentem esse consentitur. Ex his verò alii, tabum, quo concitatur, peregrè navibus importatum esse contendunt; aliis videtur, domi putridis seu terrâ enatis, seu excrementis et cadaveribus, generatum.

XLI. Quòd si horum scripta attento quis animo volutaverit, ei fortasse videbitur, hos idcirco inductos esse, ut pestilentem morbum crederent;

 derent;

derent; quòd, in quibusdam partibus, quasi pestilentia, cito et lethali gradu evagatur. Paucas, si ullas, res adducunt, quibus pestilentem esse probent: at multarum mentionem injiciunt, quæ contrariam confirment opinionem, grassantem, nimirum, naturâ esse morbum, quem solito graviorem et magis lethalem incognita quædam cœli gravitas, seu loci vitium, reddidit.

XLII. Quinimo, RUSHIUS, qui strenuè contendit, pestilentem flavam febrem esse, concedit, —"That it did not spread in the country "when carried there by persons who were in-"fected, and who afterwards died with it; "(and he adds, that) during four times, in "which it prevailed in CHARLESTON, in no "one instance, according to Dr LINING, was "it propagated in any other part of the "state."

XLIII. Idoneus, hac de re, testis CHISHOLMIUS vix habendus est; quandoquidem pestilentissima

lentissima febris, quam describit, multis a flava febre differt, et, etiamsi prorsùs eandem, atque hæc, esse concederemus, de fide tamen eorum, quæ, de ea, literis mandavit, haudquaquam semel derogatum est.

XLIV. Verùm, etiamsi iis scriptoribus opinione accedamus, qui flavam febrem neutiquam pestilentem esse contendunt; concedendum tamen est, quadam cœli intemperantiâ, et loci vitio, vim ejus magnopere intendi. Tempestas enim anni, qua in hominum genus ingruit, calidissima, utì ferunt omnes auctores, est, etiamque siccissima; ubi silent omnes auræ, neque Diespiter igne unquam corusco nubila divídit.

XLV. Quocirca, quin aër cœli multùm vitietur, dubitari non potest. De hoc verò vitio, sicut de omnibus parùm cognitis, in contrarias, et pugnantes inter se partes disputatur.

XLVI. Mit-

XLVI. MITCHELUS, NOVI EBORACI civis, asserit, quo tempore, in ea urbe, flava febris tantam stragem edebat, in communi aëre cœli, utì periculis *chymicis* compertus est, plus solito *gasis oxygenii* infuisse, haud enimvero minus triginta septem partes, pro sexaginta tribus *gasis azotici*. SMITHIUS quoque, PHILADELPHIENSIS, ex periculis factis idem concludit.

XLVII. CLARKIUS, contrà, contendit, aëra cœli, dum in HISPANIOLA flava febris infestissima erat, solito minus *gasis oxygenii* continuisse. Neque enim *sulphureto potassæ*, neque ferri ramentis cum sulphure commixtis, quibus exposuit, quintâ ampliùs parte volumine minutus est; etiamsi, iisdem, postquam evanuerat febris, expositus, sese in molem, quartâ ferè parte minorem, contraxerit. Insuper addit, in multis experimentis, quæ pòst cepit, quàm salubritatem cœlum adeptum esset, aëra nunquam in molem, quartâ ampliùs parte minorem, recessisse.

XLVIII. Hæc

XLVIII.—Hæc, inter se (XLVI et XLVII.) contraria, conciliare non possumus. Ea verò, quæ (XLVII.) concludit CLARKIUS, nobis ad fidem aptiora videntur. Veri enim similius est, fervore cœli ac tranquillitate *gas oxygenium* aëris ambientis minui potiùs, quàm augeri.

XLIX. At, etiamsi vero haud absimile sit, rationem partium aëris communis constituentium causis suprà (XLIV.) memoratis mutari, et mutatam, ad vim flavæ febris intendendam, conferre; est tamen, quare opinemur, causam, qua hic morbus excitatur, subtiliorem esse, quàm ut hucusque a medicis detegi potuerit.

L. JACKSONI, itemque MACLEANIO, videtur, halitum paludum et palustrium locorum verum parentem esse, quo generatur flava febris, quæ tantam EUROPEORUM in INDIA OCCIDENTALI stragem edidit. Hanc opinionem, quæ verisimillima est, multis validis argumentis,

quæ

quæ in eorum scriptis fusè narrantur, summâ ope nituntur confirmare *.

LI. Præter autem causas, quæ flavam febrem concitant, aliæ sunt, quæ silentio præteriri non debent, quoniam aptos homines faciunt, quos hic morbus adoriatur.

LII. Harum (LI.) verò præcipua ea est corporis constitutio, quæ omnium ferme hominum, frigidas regiones habitantium, aliquatenus communis est. Etenim, in INDIA OCCIDENTALI, ii, præ cæteris, in hanc febrem incidunt, qui nuperrimè EUROPA illuc pervenerunt. Quinimo, utì medici haud pauci experientiâ didicerunt, EUROPEOS complures illic annos commorari, quàm eorum corpora cœlo se sic assuefecerunt, ut causis, quibus concitatur flava febris,

* Vid. JACKSON: *Outline of Fever*, pag. 103—4—5, &c. MACLEAN: *On the Diseases of St DOMINGO*, pag. 24.

bris, impunè objiciantur. Atque adeò, si, postquam commoratio cœlo eos assuefecit, in loca frigida navigaverint, reduces in INDIAM OCCIDENTALEM, æquè, ut antea, flavæ febri opportuni sunt. Mirum quoque in modum, hic morbus in AMERICA SEPTENTRIONALI lethifer est, propterea haud dubiè, quòd frigidissimas ibi hiemes calidissimæ æstates excipiunt.

LIII. Flavæ, porrò, febri validi hominum et pleni, præ cæteris, obnoxii sunt; mares, præ fœminis; gravidæ fœminarum, præ vacuis; atque albi hominum, quique, inter puberratem et quadragesimum annum, vitam agunt, præ nigris et impuberibus.

LIV. Aliæ, denique, causæ, quæ reddunt humana corpora apta, quæ flava febris invadat et absumat, sunt, quæcunque horum vires multùm labefactant. Hujusmodi autem

sunt, metus, mœror, magna vis sive frigoris sive caloris, fatigatio, intemperatus vini et carnium usus.

CAUSA PROXIMA ET RATIO SIGNORUM.

LV. QUUM, quæ sit febris natura, quæ ratio, medicos etiamnum lateat, nos posse hanc rei propositæ partem clarè exponere, non expectandum est.

LVI. Signa, quæ memoravimus, inter se admodum diversa sunt, et morbidas corporis affectiones haud minùs diversas indicant. RUSHIUS, medicorum, quantùm scimus, primus conatus est, communem omnium causam comprehendere et exponere. Sed, cognitis iis, quæ, de hac re, literis prodidit, et inter se comparatis, facilè cuiquam apparebit, causam, quam proposuit, non solùm conjecturalem esse, sed etiam haudquaquam idoneam, ex qua omnia signa oriantur.

 LVII. Quan-

LVII. Quanquam verò communem omnium signorum causam clarè exponere non possumus, tamen nobis in potestate est quorundam saltem rationem reddere; quæ, utcunque manca, qua tamen viâ prosperrimè curetur hic morbus, suggerat.

LVIII. Huic morbo, præ plerisque aliis, proprium est, efficere, ut, in quibusdam partibus interaneis, maximè stomacho, jecore, et cerebro, sanguis, supra consuetudinem, cumuletur. Ex his enimvero partibus, sangüine ultra modum impletis, enascuntur multa malorum, quibus ægri affliguntur.

LIX. Nimiâ ventriculi vasorum plenitudine fortasse oriuntur nausea, anxietas, et dolor; quibus, ab initio adversæ valetudinis, flavâ febre ægri vexantur. Ejusdem item plenitudine oritur vomitus, quo, hoc in morbo, mirum in modum concutiuntur ægrorum corpora. In ventriculos enim eorum, hac febre laborantium, excer-

excernitur aut exhalatur tanta vis acris humoris, quanta potum multò excedit. Verùm enimvero nigra, quæ plerumque, ante mortem, suprà erumpunt, ex hoc humore, utì verisimillimum videtur, maxima ex parte constant, vel ex hoc forsitan commixto cum cruore ex vasis effuso, et haud scio annon etiam tunicis ipsius ventriculi erosis.

LX. Morbidâ cerebri plenitudine, quam indicant facies rubore suffusa, inflammati, interdum hebetes, oculi, et palpitationes *carotidum*, oriuntur non vigilia modò et gravissimus capitis dolor, quibus, per totum morbum, premitur æger, verùm altus quoque sopor, quo moribundus obruitur.

LXI. Eorum, qui flavam febrem nacti sunt, jecur semper sanguine, supra modum naturalem, impletur: patefactis enim cadaveribus, nunquam non distentum deprehenditur; haud

rarò

rarò etiam ulcerosum, aut gangrænâ depastum. Hæc jocinoris plenitudo, causa fortasse abdominis doloris est, itidemque acris bilis, unde tot malorum, quorum fœcundus hic est morbus, enascuntur.

LXII. Luteus cutis color, quo flava febris insignitur, oritur, ut quibusdam videtur, ex bile absorptâ, et, per vasa bibula, in circumfluum delatâ sanguinem; unde, per arterias cutis exhalantes, effusa, summum ubique corpus luteo colore tingit. Nuperrimè autem alii contenderunt, vitiato sanguinis sero effici: neque, profectò, vero absimilis hæc opinio videtur; quoniam summum corpus subitò plerumque et celeriter flavescit, præcipuè sub finem morbi, ubi, præ ægri debilitate, fieri vix potest, quin vasa bibula languidiùs absorbeant.

LXIII. *Petechiæ*, vibices, sanguinisque profusiones,

fusiones, quæ, sub finem morbi, accidunt, partim, utì videtur, ex arteriarum laxitate proveniunt, partim ex quodam, at nondum satìs cognito, vitio sanguinis.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

LXIV. MULTÆ notæ, tam quæ spem, tam quæ periculum ostendunt, ab auctoribus memorantur. Sequitur igitur, ut has quàm brevissimè explicemus.

LXV. Ubi æger neque plenus est, neque intemperantiâ vel fatigatione debilitatus, plerumque bonum est. Maribus, quàm fœminis, lethalior hic morbus est; nigris hominum, quàm albis, mitior. Mitis morbi testimonium est, ubi, interpositis æqualibus temporibus, evidentes signorum remissiones sunt; ubi mollis cutis est, et subinde sudore humida; ubi aret lingua, et subfuscâ cooperitur crustâ, quæ, ex utroque margine, dishiascit; ubi in facie, potissimùm circa os, pustulæ oriuntur. Oculi, denique, constantes, et vultus futuri intrepidus, securitatem plerumque pollicentur.

LXVI. Con-

LXVI. Contrà, gravis morbi periculum est, ubi, ipso initio, maxima vitalium debilitas occurrit. Pessimum tamen est, si æger stupore aut sopore obrutus jacet. Neque verò signum bonum est, summum corpus, triginta sex post morbi initium horis, flavescere; eoque pejus, quo saturatior color est. Mali etiam morbi testimonium est, suspiria ex imo pectore frequenter ducere; vehementer et crebrò spirare; urinam retinere; atque infrà nigra quædam, pici similia, transmittere: periculosissimum tamen est, si lingua tremiscit, tumet, vel languidè movetur, vel etiam nitida est et levis.

LXVII. Mali etiam morbi signum est, caput gravissimè dolere: nervos singultire: ægrum submissâ voce secum mussitare; continuâ vigiliâ premi; et difficulter ferre morbum. Mala etiam febris est, et vix non lethalis, in qua arteriarum pulsus contractus est, inæqualis, formicans, aut intermittens; quod tamen non perpetuum est. Si quis incidit vomitus mixtorum

ex bile et pituitâ, non terrere protinus debet: at periculosus est vomitus sinceræ lentæque pituitæ. Ac nigra quoque in flava febre vomuisse, pestiferum est, et interitûs periculum ostendit; pauci enim, post hoc, servari possunt. Clarkius, ut certiores ipse nos facit, quatuor non ampliùs ægrotos novit, morti, post nigrum vomitum, ereptos.

LXVIII. In præcipiti jam esse ægrum, denunciant oculi languidi: magisque, si illachrymant; angorem et metum significant; pigrè moventur; quæque in iis alba esse debent, rubescunt; aut in iisdem venulæ et *arteriolæ* pallent; aut ipsi immobiles hærent. Ad ultima jam ventum esse testantur, vultus vacuus, tristis et luridus; facies flaccida et rugosa, cujusque notæ minuuntur; squalida et livida cutis.

CURATIO.

CURATIO.

LXIX. Cæteris rei propositæ partibus absolutis, sequitur, ut solam, quæ rèstat, quàm paucissimis persequamur; in qua considerandum est, quibus medicamentis et remediis flavâ febre laborantibus optimè subveniatur.

LXX. Hoc morbo implicatis efficacissima deinceps medicamenta ferme omnia subvenerunt. Sed, de horum effectibus, scriptores diversa, contraria, et inter se pugnantia testati sunt, ut non facilè discerneres, quæ responderint, quæ fefellerint. Cùm ita sit, ex indigesta mole pauca medicamenta separabimus, quorum utilitatem approbavit fidissimorum auctorum experientia.

LXXI. *Roborantia.*—Quum flavâ febre ægrorum vires, brevi et mirum in modum, labantur, medici haud pauci medicamentis, ex iis quæ vires sustinent aut reficiunt, præcipuè cortice *cinchonæ* et vino, opitulari haud ita pridem solebant. Hodie verò, inter omnes ferme medicos, consentitur, hæc medicamenta, vel magnâ copiâ assumpta, parùm prodesse, nisi febris, æqualibus temporibus intervenientibus, manifestè remittat.

LXXII. *Exinanitio.*—Alii medici, et hi quidem multi nominis, contra hanc febrem pugnant missione sanguinis, alvi purgatione, aliisque quibus ex corpore demitur materia. Sed, de hujusmodi curatione, non, inter ipsos auctores qui proponunt, per omnia, convenit.

LXXIII. *Sanguinis missio.*— Moseleius, quòd scimus, sanguinem eliciendo flavæ febri primus

opitulari

opitulari solebat. Huic ipse remedio maximè credebat; atque ait, quo maturiùs adhibeatur, et quo uberiùs, eo plùs profiturum.

LXXIV. Auctore MOSELEIO, RUSHIUS, aliique medici eum sequentes, flavæ febri, quæ, haud ita pridem, PHILADELPHIÆ tot hominum absumpsit, sanguinis detractione subvenire conati sunt, et hoc omnibus aliis remedium anteposuerunt.

LXXV. Alii verò medici sanguinis missionem improbant. Asserit enim CLARKIUS, sanguinem emittere flavâ febre implicitis, perniciosum esse; nisi junioribus et validis, brevi pòst hoc morbo correptis, quàm EUROPA in INDIAM OCCIDENTALEM advenerint; quibus, modò nondum viginti quatuor horas ægrotaverint, forsitan, putat, nonnihil opituletur. Sed vel his, utì censet, post viginti quatuor horas ab initio febris, sanguinem detrahere, periculosum est; post triginta sex, vix non lethale.

LXXVI. Hoc

LXXVI. Hoc verò remedium denuo approbat JACKSON; quamvis alio modo utendum curet, atque is, quo RUSHIANI. Hi enim, utpote quibus consilium esset nimios cordis et arteriarum motus sedare, solebant sanguinem identidem, at rarissimè sexdecim ampliùs uncias unâ vice, elicere, atque interim aliis modis ex corpore demere materiam.

LXXVII. JACKSON, contrà, cui consilium est, *res, quæ in corpore existunt, ex toto mutare, et novos ciere motus*, primo febris flavæ adventu, sanguinis triginta haud minùs uncias pleno rivo emittit. Eundem in finem, præcipit, ut, eodem ferè tempore quo elicitur sanguis, inferiora extrema in aquam tepidam immergantur, simulque capiti affundatur aqua frigida, atque *murias hydrargyri dulcis*, unà cum *pulvere Jacobi*, assumatur. Quinetiam, utì superdicit hic auctor, licèt quædam hujus febris formæ sint, in quibus, post-

postquam aliquandiu continuaverint, sanguinem detrahere periculosum sit, tamen aliæ sunt, in quibus conveniat.

LXXVIII. Eâdem ferè ratione, MACLEANIUS, et medicorum haud pauci, qui, in INDIA OCCIDENTALI, BRITANNICARUM copiarum valetudini consuluerunt, flavam febrem solebant curare.

LXXIX. *Purgatio.*—Cathartica quoque, ut inter plerosque convenit, iis annumeranda sunt medicamentis, quæ corporibus flavâ febre ægrorum materiam optimè demunt. Hujus autem generis cæteris antefertur *murias hydrargyri dulcis*. Hic plerumque assumitur cum *jallopa* conjunctus. Sed JACKSON præcipit, ut, unâ cum *pulvere Jacobi*, adhibeatur, et ut æger tepida simul diluentia bibat, quò alvum cùm citiùs tum efficaciùs exinaniat.

LXXX. Præ quodam alvi torpore, iis flavâ febre ægrotis magnâ catharticorum dosi opus est. Ad alvum satìs deplendam, ferè quindecim haud minùs grana *muriatis hydrargyri dulcis*; et totidem *jallopæ* requiruntur.

LXXXI. *Salivatio.*—Medicamenta etiam, ex iis quæ salivam movent, flavâ febre laborantibus prodesse existimantur, eorumque etiamnum invalet usus. Hujus generis optima sunt, *murias hydrargyri dulcis*, et infricatum summo corpori *unguentum* ex hydrargyro *caeruleum*.

LXXXII. Hujusmodi medicamentis, etiamsi laudibus onerent plurimi medici, parùm tamen confidit JACKSON; propterea quòd, utì docet experientia, incertum est, an salivam, necne, tempori cieant. Aliis etenim hac febre ægrotis salivam evocare, difficillimum est; dum aliis pauca *muriatis hydrargyri dulcis* grana ad evocandam plùs satìs pollent. Hujusmodi igitur medicamentis

mentis credere, est, sicuti huic auctori videtur, committere, ut in incerto medicamenti effectu salus ægri vertatur.

LXXXIII. *Frigidarium*,—seu potiùs hoc, vicissimque tepidarium, flavâ febre correptis multùm proficere, medici haud ita pridem existimârunt.

LXXXIV. Nostris verò temporibus, alterno horum usui parùm confiditur. JACKSON quidem affirmat, quamvis haud raró prorsùs fallat, haud tamen raró, cæteris fallentibus parùmve valentibus, optató respondere, et inter efficacissima habendum esse, quibus morbidæ actiones corporis in salutares mutentur. ANDERSONI, contrà, qui, prodesset, necne, sæpe expertus est, prorsùs inefficax videtur *.

* Vid. ANDERSON: *Essay on Yellow Fever.*

LXXXV. *Gestatio*,—sub divo, utì a Jacksone accipimus, flavæ febri, qualiscunque huic forma sit, omni tempore optimè convenit, et ad curandam efficacissima est.

LXXXVI. Præter medicamenta et remedia, quæ ad flavam febrem sanandam adhibentur, quorumque efficacissima memoravimus; alia quædam sunt, quæ, utpote quibus graviora interdum signa leventur, præterire non licet.

LXXXVII. *Opium*,—quo graviora mala mitigentur, haud rarò assumitur: rarissimè verò optatum malorum affert levamen; imò, morbi præsertim initio, sæpe capitis dolorem vehementer intendit, etiamque inquietudinem et anxietatem.

LXXXVIII. *Exulceratoria*,—quippe quæ partium dolores mitigent, spasmum solvant, simulque languidas corporis vires excitent, summo

mo interdum corpori eorum, qui flavâ febre laborant, superimponuntur. Rarissimè autem opportunum auxilium afferunt: quamvis ventriculo superimposita, vomitum interdum et singultum sedent; temporibus, gravem capitis dolorem.

LXXXIX. *Vomitum sistentia.*—Vomitus, quo flavâ febre impliciti tam vexantur, subinde sistitur *citrate potassæ* effervescente; *æthere sulphurico;* aquâ, in qua fervida maceratum chamæmelon sit; *muriate hydrargyri dulci; acetite plumbi* aquâ liquato; *sulphate aluminoso;* et, quod nonnullis mirum videatur, *sulphate zinci.*

XC. *Æther sulphuricus,*—ad spasmos solvendos, efficax est.

XCI. *VINUM*, vel *ALCOHOL GALLICUM*—aquâ dilutum, impedit, quò minùs anima deficiat.

XCII. *AQUA FRIGIDA*, vel *SULPHAS ALUMINOSUS*—aquâ solutus, inhibet profusiones sanguinis.

CONVA-

583

CONVALESCENTIUM REFECTIO.

XCIII. MISERI, qui in flavam febrem inciderunt, ferè semper tardè convalescunt; neque profectò raró, finitâ febre, solâ debilitate moriuntur.

XCIV. Cùm primùm igitur febris remisit, optimum factu est, tantum *cinchonæ* corticis, quantum ventriculo sedeat, assumere. At abstinere non a carnibus modò, et distillatis liquoribus, verùm a vino quoque, prorsùs necessarium est. Modica quoque exercitatio, et frigidarium, ad vires confirmandas multùm pollent.

XCV. Persæpe autem parùm valent regimen et medicina; neque convalescens pristinas vires concipit, donec in frigidas et salubriores migrârit regiones.

PROPHYLAXIS.

XCVI. PRIUSQUAM huic disputationi finem ponamus, haud alienum erit paucis dicere, quemadmodum febris, quam persequimur, arceatur.

XCVII. Hunc in finem, optimum factu est, cùm causas, qualescunque sint, quæ hanc febrem concitant, quàm maximè vitare, tum eam corporis constitutionem, præ qua, hunc in morbum homines proclives sunt, tempestivè corrigere.

XCVIII. An pestilens tabes flavam febrem excitet, an, quod verisimilius est, exhalationes paludum, nondum satìs constat. Hoc verò experientia

perientia docet, homines excitantibus causis, quales sint cunque, diu et sæpe objici, neque tamen hinc detrimentum capere, nisi eorum corpora aliquà apta sint, quæ in morbum trahantur.

XCIX. Quum ita (XCVIII) sit, oportet animadvertere, quibus ex causis apta evadant corpora, quæ hunc morbum nanciscantur. Hæ autem causæ, utì nobis videtur, sunt corporis debilitas et plenitudo.

C. Ne igitur debilitetur corpus, et in hunc morbum proclive fiat, oportet eos, qui INDIAM OCCIDENTALEM nuperrimè pervenerint, dum vires sustinent et confirmant diætâ idoneâ ac exercitatione, temperatos esse in omnibus vitæ partibus; et, dum æstuantem solem fugiunt, et fatigationem vitant, neque BACCHO se totos dedere, neque VENERI. Intemperantia enim

enim tam exercitationis, quàm voluptatum, debilitatem efficit; debilitas provocat morbos.

CI. Quinetiam, ne flavæ febri opportuni fiant homines, qui in INDIAM OCCIDENTALEM nuper pervenerint, iis præcavendum est, ne eorum corpora sanguine nimis impleantur. Hunc in finem, debent cibis ex media et imbecilla materia, et potu dilutiore vivere. Eodem consilio, utilissimum erit mitioribus catharticis alvum subinde laxare: eos enim, utì a JACKSONE accipimus, qui levibus causis alvi profluvio afficiuntur, gravis rarissimè febris adoritur. Advenis, porrò, ab EUROPA, primo in INDIAM OCCIDENTALEM adventu, proderit, ut idem fert auctor, sanguinem mittere.

CII. Denique, quò arceatur flava febris, quæ, in INDIA OCCIDENTALI, tot mortalium millia

millia quotannis abripit, nihil, utì CLARKIUS certiores nos facit, efficacius est, quàm *muriate hydrargyri dulci* salivam paulisper movere, dein, per paucos dies continuos, *cinchonæ* corticem assumere. At hujus rei fides, pro me, penès auctorem erit.

F I N I S.

